

*O virgo felix, ô virgo significata
Per stellas, ubi spica nitet, quis det mihi tantum
Vivere, quod possim laudum fore praeo tuarum.*

Id quod prolixius, verbis potissimum ex Albumasare petitis, persequitur auctor ille supposititius, (z) cujus testimonia Rogerius Bacchonus, teste Mirandula (a) in epistola ad Clementem, ad nauseam usque adducit. Videatur interim D. Joh. Frid. Mayeri (b) *Disput. de Fatis Religionum, an dependant ab astris?* ubi versus hos magna serie allegatos invenies.

§ II.

Cujuscunque tandem, sive Christi, sive Mariae Virginis thema istud fuerit, tolerari id quidem potest in homine gentili, qui etiam Pseudo-prophetae sui Muhammedis vitam astris alligare non dubitavit: Christianos tamen ab insanâ hac curiositate absterrere debebat sacra, qua Servatori adstringuntur, religio, & quam ipsi etiam profitentur. Sed aliud docent exempla passim obvia. Primus inter eos, quibus ita desipere volupe fuit, est ALBERTUS M. Ratisponensis Episcopus, vir aliàs & genere & doctrinâ facile princeps. Vixit, uti Chronica Mathematicorum probant, seculo decimo tertio. Nicolaus Reusnerus (c) verò eundem toto plus seculo juniorem facit; sed quo fundamento nitatur, perspectum non habeo. Inter alia ingenii sui monumenta reliquit etiam Speculum Astronomicum, (d) in quo Albumasaris placita, quæ ei satis erant, ut crederet Servatorem nostrum natum in virgine, omnibus elogiis ornat & extollit: *Jam scimus, inquit, (e) quod sub ascendente parte ejusdem signi, scilicet virginis, natus fuit Dominus noster J. C. cum hoc quod est æquatio motus octavae sphaerae, & tempore nativitatis ejus fuit 8. grad. 37. minut. & 2. secund. secundum calculationem certissimam, & quod ipsa tunc erat minuenda de locis Planetarum inventis per Canones.* Videtur tamen Albertus verecundiam quandam fronte sua præ se ferre, & mitioribus rem eloqui verbis, dum post rectificatum Christo Horoscopum 8. grad. 37. min. ita pergit: *Non quod subjaceret stellarum motui, aut earum judicio natorum desideratissimus, qui creaverat ipse stellas, sed quia cum extenderet cælum sicut pellem, formans librum universitatis, & dedignaretur opus in complementum, noluit literis ejusdem deesse ex eis, quæ secundum providentiam suam in libro cœlestis majestatis sunt scripta, & istud elongatissimum à natura, quod de virgine nasceretur, ut profecto per hoc inveniretur homo naturalis & verus, qui*

B

non

(z) *Loc. cit. cap. 34. seqq.* (a) *Lib. I. in Astrol. p. m. 419.* (b) *Disp. I. §. 4. p. 7. seqq. habita Hamb. anno 1700.* (c) *In Iconibus Virorum studiis illustr.* (d) *Quod è Cod. Msc. primum Lugduni an. 1615 impressum.* (e) *Lib. cit. p. 150.*